

7. Sekundärliteratur

Historiae Collegii Philobiblici Lipsiensis Pars 1.

Illgen, Christian Friedrich

[Leipzig], 1836

Pars Prima. Historia Collegii Philobiblici inde ab eius originibus usque ad annum 1690., quo inhibitum et dissolutum est.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

P A R S P R I M A.

Historia Collegii Philobiblici inde ab eius originibus usque ad annum 1690., quo inhibitum et dissolutum est.

Literarum divinarum studium, liberum saltem et incorruptum, tametsi saeculo post Christum natum sexto decimo per sacrorum potissimum instaurationem ex longo altoque somno inter Christianos ita erat excitatum, ut in utraque mox ecclesia divinae Evangelii veritati superstructa mirum quantum ferveret: inter theologos tamen scitis Lutheri adhaerentes iam vergente hoc saeculo deferrescere coepit insequentique prorsus pene neglectum iacuit. Quum enim per Formulam, quae vocatur, Concordiae perquam accurate subtiliterque definita doctrina, tanquam ex coelesti fonte hausta ipsoque Evangelio fundata, omnibus ac singulis ecclesiae doctoribus praescripta et imperata esset, ad quam vel puerilis et juvenilis aetas in scholis non minus quam in Academiis informaretur: fieri non potuit, quin theologi, in tali paulatim disciplina acquiescentes eamque tum Scholasticorum more quam acutissime explanantes tum contra adversarios acerrime tutantes, ipsos libros sacros perlustrare eorumque verum ac genuinum sensum indagare et eruere desuescerent. Quo maius autem in discrimen tam per impetus Pontificiorum, Calvinistarum et Socinianorum perpetuos, quam per iniquos mysticorum quorundam atque Calixtinorum sive Syncretistarum motus adduci videbantur illa ipsa decreta symbolica, eo fervidius inter strenuos Lutheri sectatores ratiocinando ea stabiliendi, novis tricis argutiisque fulciendi et ab hostium telis quocunque modo defendendi incalevit studium. Quo factum est, ut et docentes et discentes eas inprimis theologiae partes adamarent ac pertractarent, quae thetica et antithetica sive polemica doctrina continebantur, quae vero loca Biblica his disciplinis inservirent, ex usitatis tunc temporis earum institutionibus et commentariis transscriberent. Sic in ea ipsa ecclesia, quae Lutheri quondam duce in rebus sacris nulla alia nisi divina auctoritate Christianos obligari voluerat omnesque traditiones humanas renuntiaverat, exegetica quaedam traditio exorta est, quae ex alio deinceps libro in alium translata normam quasi sanciret, ad quam singula scripturae sacrae loca essent et intelligenda et interpretanda.

Hanc utique perversam religionem Christianam literisque sacris utendi rationem tanto tristiores ac perniciosiores esse, quanto magis in dies invalesceret, atque adeo populi mentem per innumeros perinde libros ut per ipsas orationes sacras obnubilaret et a saniori Evangelii doctrina abduceret, non defuerunt

quidem religionis doctores, qui perspicerent eique malo, quod ex intimo sensu deplorabant, sedulo mederi studerent: at tantum abfuit, ut multum assensum ferrent, ut a plerisque eorum theologorum, qui arcem periclitari sapientiae suae videbant, acerbissime impugnarentur. In hanc iniquam conditionem cum primis Philippus Iacobus Spenerus, sacri Ministerii Francofurtensis Senior, vocatus est, vir aequè doctus sacrarumque potissimum literarum et linguarum peritus ac verae pietatis studiosus, qui non ipse solum, missa omni scholae theologicae futilitate, purum divinae sapientiae fontem adiret populoque aperiret, verum alios quoque doctores vehementer etiam atque etiam rogaret, ut ex eodem veritatem coelestem haurirent suisque auditoribus et discipulis porrigerent incorruptam et ad sanctimoniam formandam maxime accommodatam. Etenim quantumvis essent, qui haud gravatim ei adstipularentur, multo plures tamen ob haec ipsa, quibus favebat, pietatis Christianae studia omnium generis convitiis consecrati sunt eiusque placita et praecepta, ex quibus magnos gravesque colligebant errores, furtim ac palam debellare contenderunt.

Atqui inter ipsas turbulentas, quae exstiterant, tempestates pietatis semina, quae vir ille egregius sparserat, hic illic iam coeperunt germinare, atque paucis diebus, postquam anno 1686. Dresdae munera sacra ipsi demandata auspicatus erat, Lipsiae unum ex piis illis, quibus flagrabat, desiderii explendi factum est initium. Quemadmodum in plerisque literarum Universitatibus Lutheri disciplinae addictis, sic in nostra quoque Academia Biblicum studium tam parum tunc exercebatur, ut iuvenes theologiae dediti praeter philosophicas eas tantummodo scholas ventitare solerent, quibus theologia vel dogmatica vel polemica vel homiletica tradebatur, Biblicas vero plane postponerent, cum et ipsi pravo illius aetatis indulgerent genio, neque doctores instillare iis literarum sacrarum amorem valerent. Quare factum est, ut, quotiescunque ex ordine theologorum Lipsiensium Ioannes Olearius, vir meliora et cupiens et, quantum posset, exsequi paratus, scholas Biblicas aperiret, perpauca adessent discendi cupidi, Ioannes autem Benedictus Carpzovius, ad aedem Thomanam Pastor, ex quo tempore propter numerum auditorum usque imminutum primum modo caput vaticiniorum Iesaeae interpretari potuisset, eiusmodi scholas amplius habere nollet¹⁾. Reliqui Facultatis theologicae Professores, Georgius Moebius, Senior illius, et Georgius Lehmannus, ad aedem Nicolait. Pastor et Dioeceseos Lips. Ephorus, col-

1) Cf. Io. Ge. Walch, *Einleitung in die Religions-Streitigkeiten der Evangelisch-Lutherischen Kirche*, T. I. p. 605. Ioach. Lange, *Lebens-Beschreibung Speners vom Freyherrn von Canstein*. Halle 1740. 8. p. 119.

legia exegetica, quantum scimus, nunquam, Valentini vero Alberti, Theol. Prof. extraord., et Augustus Pfeifferus, Linguarum Oriental. Prof. et ad aedem Thom. Archidiaconus, perraro instituerunt²⁾. At enim vero adfuere iam in hac ipsa Academia, qui saluti aegrotantium remediis idoneis subvenirent, ita ut novum mox librorum sacrorum studium atque id fructuosius inter theologiae cultores non minus quam inter multos Lutheranae formulae doctores accenderent, melioremque paulatim ecclesiae conditionem tum praepararent tum efficerent. Hanc autem rei Biblicae in melius mutationem ex societate inprimis illa privata, cuius historiam sum expositurus, repetendam esse, unusquisque, opinor, largietur, qui sequentem narrationem animo medio et aequo legerit.

Ipsam hoc sodalium tenuibus exorsum est initiis. Anno enim 1686. d. 15. mensis Iulii duo in academia Lipsiensi Magistri, Paulus Antonius et Augustus Hermannus Franckius³⁾, cum de studio linguarum sacrarum a plerisque theologiae studiosis nimium quantum neglecto amice colloquerentur, more aliorum Magistrorum, inter quos iam vigere videbant collegia oratoria, anthologica et quae sunt huius generis, *instituendae cuiusdam societatis ceperunt consilium, qua in solius Dei Triumphi gloriam, in novi hominis, pie eruditionis theologiaeque exegeticae incrementum, nec non in exemplum sanctae conversationis, certo tempore sacri Bibliorum fontes tam Veteris quam Novi Testamenti legerentur, exponerentur et varios in usus converterentur*⁴⁾. Quod consilium tam faustum eventum habuit, ut iam die 18. eiusdem mensis octo Magistri: Antonius, Springerus, Westphalius, Moellerus, Wichmanshausenius, Franckius, Gleitsmannus et Heiderus⁵⁾, ipsam societatem inirent, et ita quidem, ut Franckius et Gleitsmannus in Hebraeorum, reliqui vero in Graecorum lectorum classem adscriberentur⁶⁾. Ex serie quidem, qua

2) Cf. *Spencers letzte theologische Bedenken*, T. III. p. 347 sq.

3) Knappius, qui in libello: *Spencers Leben* (*Frankens Stiftungen*, T. I. p. 110.) originem huius Collegii recte ad duos illos auctores retulerat de eoque condendo cogitationem istis ab ipso Carpzovio iniectam esse in oratione sacra, qua miratus esset, inter studiosos tot collegia anthologica, oratoria etc., nullum tamen Biblicum deprehendi, nescio quo fonte usus, addiderat, in nova eiusdem libelli recensione (*Der Biograph*, T. IV. p. 156.) et: *Knapps Leben und Charaktere einiger gelehrten und frommen Männer des vorigen Jahrhunderts*. Halle 1829. p. 34., annum 1686. cum anno 1689. confundens, collegia Biblica respexit ab Franckio, Antonio et Schadio instituta.

4) Sic finis instituti in ipsa legum praefatione indicatur. Cf. Spenerus, *Warhaffte Erzählung*, p. 35.

5) Plura de his viris afferendi infra mihi dabitur occasio.

6) In primo collegarum indice non solum ipse Antonius ad nomen suum haec verba addidit: *accessit una cum seqq. septem* 1686. d. 18. Iulii, verum etiam adnotatum

iuvenes illi sua singuli nomina inscribere rationario, elucere videtur, Franckium, cum sextum locum obtineat, non fuisse eum, quocum Antonius de hac societate constituenda primum collocutus esse traditur⁷⁾: at vero cum ea in re temporis tantum ordinem, quo singuli vel civibus academicis adnumerati, vel, quod magis arridet, summis philosophiae honoribus ornati erant, observatum videam⁸⁾, nil impedit, quo minus hanc narrationem probem. Huc accedit, quod istos duumviros misera illa literarum sacrarum conditio eo minus fugere poterat, quo magis ipsi earum erant gnari magnamque utilitatem ex diligenti verbi divini accurataque lectione et indagatione in universam pariter theologiam atque in vitam Christianorum redundare intellexerant. Quamvis autem Philosophorum iam ordinis auctoritate ipsam philologiam sacram docendi veniam impetrassent⁹⁾, inter privatos tamen parietes, amicorum consortione inita, prius resuscitare Biblica studia constituerunt: quod sane consilium aequae atque ipsa huius societatis conformatio in Speneri secta-

legitur, ad quam classem unusquisque sodalium pertinuerit. Erravit igitur ipse Spenerus, libello cit. p. 38. et *Gründliche Beantwortung einer mit Lasterungen angefüllten Schrift, (unter dem Titel: Ausführliche Beschreibung des Unfugs der Pietisten u. s. w.) Frankfurt am Mayn 1693. 4. p. 75.* narrans, Collegium illud haud multo ante, quam Dresdam ipse accessisset, inchoatum esse; nam literis ad Rechenbergium d. 6. Iul. 1688. Dresdae datis: *qua die, inquit, ante hos duos annos primum istam urbem ingressus sum, et d. 6. et 7. Iul. 1691.: quo ipso bino die ante hos quinque annos Dresdam et in ea senatum Ecclesiasticum sum ingressus*, die autem 11. eiusdem mensis orationem aditalem eum habuisse constat. Ille autem error, qui etiam in Antonii libello: *Ausführlicher Bericht*, p. 5. reperitur, ut in omnes deinceps libros transiit, qui hac de re egerunt, sic in Hofsbachii quoque opus praeclarum an. 1828. editum: *Philipp Jakob Spener und seine Zeit*, T. I. p. 315.

7) Antonius loc. cit. quamvis diserte id non dicat, eo tamen significare videtur, quod narrat, in summa se Franckii familiaritate versatum fuisse cum eoque Collegium Philobiblicum a. 1686. inchoasse; p. 28. autem haec verba leguntur: *In Leipzig ista bekandt genug, wie — A. 1686. ich und M. Franck zuerst solch Collegium amicam angefangen, in welches etliche hernach mit eingetreten.*

8) In programme Lipsiensi, quo ad solemnem Magistrorum renuntiationem d. 29. Ian. 1685. peragendam invitatur, Westphal, Moeller, Wichmanshausen et Francke eodem ordine, quem supra commemoravimus, nominantur.

9) Ad hanc veniam impetrandam scripserat Antonius a. 1684. dissertationem *de fundamento artis oratoriae in logica*, Franckius vero a. 1685. commentationem *de grammatica Hebraea*. — Antonius quidem l. c. p. 5. 6. 34. affirmat, se, Collegii maioris Principum Collegiatum, illo iam tempore non solum philosophicas, sed etiam theologicas scholas habuisse: verum istae non tam librorum sacrarum interpretationem, quam theologiam polemicam et homileticam disputandique exercitationes spectabant.

B

tores, quales iam tunc viros illos fuisse vix dubitari potest¹⁰⁾, optime quadrabat. Prius quidem, quam Spenerus Dresdam advenerat, neque conveniendi eum neque per literas consulendi data erat illis potestas¹¹⁾: at ignorare tamen minime poterant, quanta rerum in theologia desideratarum intelligentia, quanta animi commotione quantoque sacro fervore multis iam scriptis sanio-rem divinae veritatis et cognoscendae et tradendae rationem monstrasset: quae quidem egregia consilia ac monita tantum aberat, ut in juvenilibus illis animis veri bonique amantibus essent irrita, ut eos quam maxime moverent, maiori rerum sacrarum amore implerent piisque desideriis, quae ipse exposuerat, oblata occasione pro viribus satisfacere redderent promtos. Cum igitur vir ille ingenuus, quem ob verbi divini amorem et pietatis studia valde suspiciebant, sacrorum in Saxonia Electorali primus antistes simulque Consistorii Dresdensis, quod et res academica curabat, Assessor factus esset, opportunum adesse tempus intelligebant talem societatem, quales ipse iam pridem desideraverat, constituendi; atque ipsae, quas hoc Collegium sibi statuit, leges ita comparatae sunt, ut piis illud Speneri studiis a primis iamiam originibus admodum favisce luculenter appareat, quippe quae eo tendant, ut non libri tantum sacri legantur et exponantur, verum etiam varios in usus convertantur sicque pietas sodalium incrementa capiat.

Paulo serius quidem, scilicet anno 1687. mense Novembri, leges illae rationario Collegii inscriptae sunt, neque primam huius constitutionem tam integram exhibent, ut ab ea nihil recedant: sed cum iam anno 1686. conditas primum eas esse titulus diserte indicet, idemque, quod inter primos auctores convenit, consilium adhuc valere praefatio haud obscure doceat, in re primaria nihil immutatum esse, certo conicere possumus. Res ea fuisse videtur, ut, qui hanc societatem inibant, de instituti fine, membrorum numero, officiis iuribusque, conventuum et exercitationum ordine ac ratione aliisque eiusmodi rebus ad formam et internam et externam spectantibus quaedam statuerent, quae, hic illic pro ratione temporis mutata vel accuratius definita, sensim et pedetentim abierunt in consuetudinem, usque dum leges consignarentur isti consuetudini maximam partem innixae, ita tamen, ut haec, quod ex eadem legum praefatione patet, in nonnullis rebus servaretur.

10) Antonius l. c. p. 22. haud obscure indicat, magnum se amorem iam tunc erga Spenerum habuisse propter praeclaros libros ab eo conscriptos.

11) Spenerus, *Gründliche Beantwortung*, p. 75. ipse profitetur, Antonium et Franckium illo tempore nondum in ipsius notitiam pervenisse.

Prima Collegii huius ordinatio, quantum novimus, haec fuit. Singulis diebus solis¹²⁾, finitis sacris publicis, conveniebant socii in museo primi ordine collegae ac per duas horas, Latino utentes sermone¹³⁾, sacro operi ita insistebant, ut lector, sensu textus Biblici, quem tractabat, nexuque investigato, porismaia eliceret et fructuosa reddere studeret, reliqui vero sodales observationes suas adicerent¹⁴⁾. In ipsis sacris voluminibus tum Hebraeis tum Graecis interpretandis hunc ordinem observabant, ut a Genesi et Matthaeo facerent initium¹⁵⁾ et per vices conventuum modo illum modo hunc librum respicerent¹⁶⁾. Quare elucet, illos socios, qui Hebraeorum lectorum classi adscripti erant, cum pauciores numero essent, multo frequentius quam reliquos, quamdiu hic ordo valebat, lectiones Biblicas habuisse. In hoc quidem exercitio sodales initio magis eruditioni quam sinceræ pietati prospexisse, ipse Spenerus l. c. suspicatur: at considerato tamen instituti fine atque perpensa primorum auctorum pietate, non possum, quin mihi persuadeam, eiusmodi pias conversationes, ad quas et hospitibus aditus patebat¹⁷⁾, iam tunc temporis precibus tum inchoatas tum finitas esse¹⁸⁾.

De hac igitur societate eiusque studiis cum Spenerus per Antonium certior factus esset, ad eum d. 7. Sept. 1686. laetus tali consortione rescripsit, *laudans Seckendorffii monita de studio Biblico e libro de statu Christianorum, deinde subiungens explicationem, qua ratione institui debeat Collegium tale Bi-*

12) Cf. Spenerus, *Wahrhaftige Erzählung*, p. 36., ut ne commemorem, a. 1686. diem 18. m. Iul., quo primum sodales conveniebant, ex Calendario Iuliano, quod tum inter Protestantes Christianos valebat, diem solis fuisse.

13) Huius quidem rei diserte nulla fit mentio: sed de ea iam propterea dubitari nequit, quod hoc sodalitium constat Latinae linguae tam fuisse aduetum, ut vel in rationibus referendis ea uteretur. Alia argumenta in hac ipsa deinceps historia deprehendes.

14) Spenerus l. c.

15) Id praeter leges antiquissimae Collegii rationes docent, ubi adnotatum est, quousque per quemvis anni quadrantem explicatio tum Geneseos tum evangel. Matthaei producta sit.

16) Hanc rem ita se habuisse, ex duabus iam primis rationibus colligere licet, quippe quae significant, tantundem fere temporis in textu Hebraeo quam in Graeco interpretando consumitum esse. Idem affirmat Spenerus l. c.: *da einer eine Lection über das Alte, und ein andermal über das Neue Testament hielt*. Inde videbis, quam falso Niemeyerus (*Frankens Stiftungen*, T. I. p. 28., Guericke (*August Hermann Francke, Halle 1827*, p. 24.) et Hofsbach l. c. p. 315. hanc rem exposuerint, narrantes, binis eiusdem diei horis et Vetus et N. T. in censum venisse.

17) Hospitum nomina iam in antiquissimis Collegii rationibus reperiuntur.

18) Haec sententia confirmatur literis Speneri statim commemorandis.

*blicum*¹⁹⁾. His literis sodales, inter quos maior iam et literarum sacrarum amor et in ipso exercitio ad pios usus accommodando intelligentia apparere coeperat²⁰⁾, haud dubie in deliberationem adducti sunt²¹⁾, ad quas leges haecce societas esset formanda, quo uberiores fructus exemplo aliarum in Universitate Lipsiensi societatum ad seram usque aetatem ferre posset. Ex qua deliberatione paulo post, certe ultimo anni 1686. quadrante²²⁾, leges natae sunt ad Collegii, modestiae causa nunc *Philobiblici* nomine appellati, pia exercitia satis idoneae, quae in rationario antiquissimo ita leguntur:

COLLEGII PHILOBIBLICI LEGES,

*conditae primum Anno M.DC.LXXXVI., inscriptae vero consulto
Anno M.DC.LXXXVII. Mense Novembri.*

In Nomine DEI Patris, DEI Filii, DEI Spiritus S., Unius et Solius Veri DEI,
Domini nostri Benedicti in secula seculorum. AMEN!

Factum est Benigni Numinis gratia, ut A. O. R. M.DC.XXXVI. d. XV. Iulii quidam in Academia nostra LIPSIENSI degentes Magistri instituendae cuiusdam Societatis ceperint consilium, qua in solius DEI TRIUNIVS Gloriam, in novi hominis, pia eruditionis theologiaeque²³⁾ exegeticae Incrementum, nec non in Exemplum sanctae conversationis, certo tempore sacri BIBLIORUM fontes tam Veteris quam Novi Testamenti legerentur, exponerentur et varios in usus converterentur. Gratiae vero coelestis fini honestissimo CHRISTI promissione affuturæ certissimi, deliberavimus

19) His verbis argumentum epistolae ad M. P. Antonium de studio Biblico, quod aliqui ap. M. P. A. convenientes habeant, datae in schedula indicatur. Epistolam ipsam vide in Appendice I. A.

20) Spenerus, *Wahrhaftige Erzählung*, p. 36.

21) Leges ipsas ad consilia, quae his literis continentur, ex parte conformatas esse, nemo non videt.

22) Leges Collegii non anno demum 1687. mense Novembri datas esse, praeter causam iam p. 10. allatam tum *tabula votiva* d. 26. April. 1687. Antonio dedicata, tum *enarratio Biblica* d. 29. Iun. eiusdem anni a. Franckio recitata docent, quippe quae (Vid. Append.) illas iam respiciant; hoc autem, quod indicavi, tempore scriptas eas esse, et quidem praeside Collegii nondum electo, quamvis verba Speneri paulo negligentius eam rem narrantis contrarium significare videantur, dubium esse nequit, cum non solum Antonius l. c. p. 28. 29. ad annum adhuc 1686. diserte eas referat, verum etiam rationes ultimi quadrantis eiusdem anni et rationarium et librum Actorum memorent, scripta utique post leges latas admodum necessaria.

23) Verba: *verae ac vere*, alia manu supra lineam serius scripta, nec habet Spenerus l. c. p. 37. nec Antonius l. c. p. 30. 124., hunc Collegii finem afferentes.